Qk. 524, 25 B. m. II
II f 60

NVM INTER

CHRISTI PRAECVRSORES SOCRATES

DISQVIRIT

ET

NATALITIA SVMMI REDEMTORIS

COMMENDAT

ILL. RVTH. DIRECTOR.

[Godofred. Hauptmann]

HEINSIVS *poëm.* p. 521.

Εἶμι δ' ἐν Ἠλυσίοισιν ἀεὶ πεδίοισι γεγηθὼς,
Ἔνθεα βακχεύων εἰσέτι καὶ μεθύων.
Αὐτοῦ τὸ γλυκερὸν καταγώγιον εἰσέτι ναίω,
Τὸ πρὸς τῇ πηγῇ καὶ παρὰ τῇ πλατάνῳ.
Αὐτοῦ γοργιέω τύφον πατῶ, ὡς τὸ πάροσπερ,
Ἀντισοφιστεύω δ' εἰσέτι τῷ Προδίκῳ.
Εἰσέτι δὴ μηδὲν φημ' εἰδέναι. Ἔστι δὲ μούνη
Μοὶ σοφίη, σοφίης σχῆμά τι μηδεμιῆς.

BIBLIOTHECA PORICKAVIANA
UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HALLE (SAALE)

GERAE,

EX OFFICINA ROTHIANA.

Socratem ἄρρωνα cum sisteremus; iam priorem partem epigrammatis Heinsiani praefiximus. Hac altera, Socrates exhibetur nobis, in Elysiis campis. Vt autem, ad nunc ideo dicenda, tramitem aperiam, fata Socratis, in Graecia viui, quartum tango suppleturus. Spectant huc, quibus qualiscumque similitudo, cum vitae curriculo miraculisque diuini SOTERIS, inest; de qua proxime MEINERS, LESS aliique, disputarunt. Equidem mea, iam ante hos, scripsi: non vt hinc vilissima quaeque momenta, praeteritis grauioribus, ad captandum risum, excerperentur; sed, vti iunctim spectarentur omnia. Quippe, nullum singulis, sed aliquod tamen inest, in ipso nexu, robur. Euoluamus generatim laudes Sacratis, quas habet PLATO, tam alias, quam in conuiuio, Alicibiadis ore, cuius sermonem, in rem suam, aliquatenus vertit LEONARDVIS Aretinus a), EVRIPIDES, πάνσοφον ἀηδόνα Μουσᾶν b), vocat, VAL. MAX. c), *humanae sapientiae quasi quoddam oraculum terrestre.* Magis notabilia CICERONIS sunt effata d), v. g. *philosophi diuinitus ferunt esse dicta* (quae loqueretur Socrates,) et: *cum omnium sapientissimus esset sanctissimeque vixisset, ita, in iudicio capitis, pro se ipse dixit, vt non supplex, aut reus, sed vt magister, aut dominus, videretur esse iudicum.* Ab ipso THEODORETO e) Socrates adpellatur: τῶν Φιλοσόφων ὁ ἄριστος, quem nec alii minus praedicant f). Vel comici, quod habet DIOG. Laërt. g), inopinantes, dum vituperare conantur, commendant. Hisce connexis, tanto minus mirabimur; si, REDEMTORIS singulatim praecurforibus ipsum addi, videamus. Ingressi sunt in illam sententiam plures. Eo vel IVSTINVM Martyrem referunt h), qui Socratem aliquatenus agnouisse CHRISTVM, et ad ipsum, tamquam verbum diuinum, adduxisse suos, autumat, immo Christianum vocat, inter Graecos praegressum. Addimus MARSILIVM FICINVM i), MOTHEVM VAYERIVM k), SYMPHORIANVM, et quos THOMASIVS, in praef. ad Charpenterianam Socratis vitam, adlegat. Cautius loquitur BRVCKERVS l), qui saltem, a prouidentia, putat, electum Socratem, vt, ad perfectiorem patefactionem, omnibus vitiis

a) L. VII. ep. 1. b) ap. DIOG. Laërt. II, 44. c) VII, 2. ext. 1. d) *de orat.* I, 7, 28. it. 54, 231. III, 16, 59. sqq. e) T. IIII. serm. I. p. 467. f) LIBANIVS *declam.* XXVIIII. AEL. *V. H.* IIII, 16. EVSEB. *praep.* I, 5. LACTANT. III, 20. sq. MAX. TYR. *diss.* XII. ante fin. DAN. HEINS. in *praef. ad Max. Tyr.* XIII. sq. epigrr. Gr. post praef. SEN. *ep.* LXIIII. sub fin. FRANC. CHARPENTIER *Vie de Socrate.* g) II, 27. AEL. *V. H.* II, 13. h) Iustini loca sunt *Apol.* I. p. 48. II. 83. sqq. edit. 1686. KOECHER *de idol. litt.* p. 26. sq. 43. sq. HEVMANN *A. phil.* I, 55. sqq. i) L. VIII. ep. 9. k) *de la vertu des Payens* P. II. p. 587. ed. 1662. fol. l) Fragen T. I. p. 441. sqq.

vitiis ac sceleribus contaminatos ciues, quasi praepararet. Incautius multo recentiores irrisores garriunt, quo nugae variae spectant m). Non quidem vnus Socrates ideo celebrabatur. Theologi Colonienses olim Aristotelem diuis adnumerarunt, certe beatis addiderunt, et, in naturalibus, ita praecursorem CHRISTI fuisse, censuerunt, vt, in sublimioribus, Ioannem n). Ipsum Platonem huc aliquatenus accommodat CLEMENS Al. o); quatenus Ioannis, *salutari nuntio credite*, comparamus. Erat tamen Socrates primus Graecorum, quem ita colerent. Nos, in talem sententiam inquisituri, iure, maleuolam mentem et adplicationem, iam deprecati sumus. Scilicet, argumentis nitimur, alioqui telo critico petitis. Omnino, si Plato, Xenophon et eius generis scriptores vacillant: non maiorem narratio nostra fidem merebit; at, nec postulabit maiorem. Luculentius rem efferant, qui valent; gratulabor ipsis: sed aeque caueant, ne, philosophicum ad genium suum, narrationes torment, aut omnem historicam fidem euerrant ex antiquitate. Potuerunt adfingere Socrati verba, Plato, Xenophon, Aeschines; quod doctrinas et historias finxerint, vix opinor. Repugnassent rem melius edocti: non enim isti soli Socratem audierant. Sic et, cum εἴρωνα proponerem, dicta contendantur. Iam, inquisitionem propinquiorem, non nullae quaestiones iuuabunt. Annon Socrates eo referri, propter intelligentiae perfectiones, debebit? Suprema sapientia Christus. Sapientissimum Socratem, si verum oraculum, Apollo declarauit. Quamquam etiam istud, haud tamen ideo rem ipsam, in dubium vocat HEVMANNVS p); qui simul eo pertinentia loca collegit. Ego pariter vix crediderim, Atticos damnasse virum, oraculo tam insigni, cuius ipsos recordari faciebat, munitum: vt nec facile talis generis περιαυτολογίαν, qui potius necem adpetebat, quam fugiebat, adhibuisset. Ceterum, eminentiam hinc et ἀντονομασίαν obtinuit Socrates. Catonem Socratem Italiae vocat SALVIANVS q), Michaëlem de Montagne Socratem Gallicum SCHVRZFLEISCHIVS r). Hinc et tot passim decantatae laudes aliorum, quos inter, vel solum GE. LANVM s) et I. A. BVTTSTETTIVM t) adhuc euoluamus. Insignem quidem differentiam prodet IVSTINVS

m) v. g. Abraham, Paulus, Töllner, und im Schoos Abrahams Socrates (Berol. 1774. 8.)
n) WOLF. *lect. memor.* T. II. p. 136. o) *Strom.* L. V. p. 588. sqq. ed. 1689. p) in *actis philos.* P. III. n. 3. q) *de gubern. DEI* L. VIII. p. 261. r) *acta Sarcinafiana* a Theod. Crusio edita p. 51. s) in *diss. hist. de Pythagorica ingenior. seruitute et Socratica philosophandi libertate antiqua et noua.* t) Vern. Gedanken über die Vorseh. GOTTES in Ansehung der Erhalt. und Mitwirkung. 1. Abschn. 5. Cap. §. 24. p. 212. sq.

martyr u), qui Socratem sistit professum, se sapientissimum habitum esse, quia, quae nescierit, nescire se putarit. At tamen, vnum Deum agnouit x): etsi PLVTARCHVS y) narrat, ipsum tria statuisse principia, Deum, materiam (ὕλην) et ideam; quae fusius explicat IO. GOTTLOB CARPZOV z), sed refutat BRVCKERVS α). Nec deest forte, qui μαιευτικὴν β), siue doctrinas ac disciplinam, in subsidiis collocet. Doctor ille caelestis de caelo venerat, vt adduceret nos ad caelum. Quid hic de Socrate censerem, daemonium contemplatus, monui; iam non nihil solum additurus. Confabulabatur, vt CHRISTVS, promiscue cum omnibus, tam eminentioribus, quam humilioribus γ). Verum et hic, de praerogatiua doctrinae moralis Christianae, prae Socratea, disputat ZIMMERMANNVS, prof. Tigurinus δ). Vtique, secundum DIOGENEM Laërt. ε), Socrates primus de vitae ratione disseruit, et primus philosophorum, in iudicio damnatus, periit. Num inde forsitan praecursio? Quid? infinitis momentis grauior ac perfectior doctrina CHRISTI; multoque iudicium iniquius, hic quo neci succumbebat! Annon vero tot aliae conditiones indicari merentur? Exscindendis lapidibus intentus erat Sophroniscus ζ), lignis Iosephus. Vterque filiorum primum opificio patris, ille naturalis, hic curae, studebat. Ob varias animi perfectiones ille praedicatur; quas hic eminentissimo sensu praestitit. Ille cum viueret, Atticae; cum hic, Iudaicae reipublicae, turbulentissima tempora fuerunt. Socrates, sibi peculiarem spiritum a consiliis esse, iactabat: CHRISTVS mentium diuinarum legiones administras habebat. Hinc aestimabatur vterque maximi, sectatoribus a suis. Socrates oraculum forsitan de se, pluraque glorioſa, demum adflictus, profitebatur η); vt CHRISTVS, regnum et iudicandi potestatem. Socrates deorum cognatum se praedicabat ϑ); CHRISTVS DEI filium exhibebat. παράδοξα CICERONI ι), maxime videntur esse Socratica, longeque verissima. Quid dicam, de CHRISTI doctrinis, multo magis, apud auditores, paradoxis; de manu rescindenda, pede desecando, eruendis oculis, non repellenda noxa, altera, malam percutienti, por-

u) *apol.* I. p. 33. sq. ed. 1686. x) HEVMANN I, 57. sqq. 101. sq. y) *de placitis philos.* I, 3. z) *de vett. philos. circa naturam Dei sententiis* disp. I. §. 9. sq. α) l. c. p. 476. β) Μαῖαι Graeci nutrices, quasi matres, vocabant. V. HESYCH. voc. Μαῖα. CALLIM. *hymn.* in Ioh. v. 35. ibique GRAEV. not. γ) VAVASSOR *de lud. dict.* p. 31. δ) T. II. *opuscular.* suor. *minor.* n. 1. ε) II, 20. ζ) I. A. F. BIELCKEN Hist. der nat. Gottesgel. P. I. c. 2. sect. 2. §. 11. η) THEMIST. *or.* IIII. p. 125. ed. Petau. ϑ) ARRIAN. *ad Epict.* I, 9. p. 43. ι) *parad.* I. conf. *off.* I, 41. post. med.

corrigenda, difficultate salutis diuitum, praerogatiua meretricum ac portitorum, prae Pharisaeis? Quod ad ipsam exercitationem virtutis adtinet, magnifice GEDOYNVS abbas κ), de Socrate, scribit: *C'étoit l' homme le plus juste, qui eût encore paru dans le Paganisme, un homme né pour servir d' exemple aux siecles futurs, un vrai Sage, qui sou les apparences d' une vie commune, et sous un extérieur négligé cachoit la plus solide vertu, qu' il rendoit aimable, par l' enjouement de son esprit, et par la douceur de ses moeurs.* Ad CHRISTVM hominem accommodatum, hocce testimonium potentius esset; hic autem adsentatoris videtur. Alii celebrant virtutes, arctiore sententia sic dictas, quas et, in praecursore suo, laudat REDEMTOR λ), summam animi, numquam mutato vultu, constantiam μ) et alias ν); sed, cum Xantippe ξ), non praeter suspicionem, celebrant. Tales ergo, si minus valent; annon in censum veniet ille, propter breuitatem et modum precum? Quatenus, nihil vltra petendum, arbitrabatur, quam vt bona DEVS tribueret: quia demum hic sciret, quid vtile foret hominibus. Nimirum, similem breuitatem CHRISTVS commendat. Vterque praeterea, sublatis in caelum oculis, precabatur; vnde nubes adorare Socrates, ab Aristophane, dicebatur. Adiungi solent amores Socratis; vbi quidem ORIGENES vel HIERONYMVS, in *prologo commentarii ad cant. Salom.*, inter amatorios sermones Socratis, et arcanum illud canticum, comparationem instituit ο). At, et hac longius petita ratione, profanaretur CHRISTVS, non honoraretur. Annon vero plura, breuitatis ergo, copulasse iuuabit? Docebat Socrates, et in officinis, et in foro, quotidie π). Templum addebat CHRISTVS, tamquam locum simul religioni consecratum. Ille formare rem Atticorum publicam ρ), hic vel hereditatem alicuius distribuere, detrectabat. Plures habebat discipulos, quos gratis docebat, vterque σ) CHRISTO Iudas, Anyti filii Socrati, licet diuerso modo, causa vel occasio necis fuerunt. A plerisque ridebatur et habebatur despectui Socrates. Quid hic accidit diuino doctori, vel exercenti miracula? Socrates irri-

κ) in *Oeures diuers.* p. 76. sq. λ) Matth. XI, 7. sqq. μ) ARRIAN. I, 9. p. 45. II, 2. III, 26. p. 381. sq. IIII, 1. p. 386. PLIN. *H. N.* VII, 19. VAL. MAX. III, 8. ext. 3. VI, 4, 2. ν) ARRIAN. IIII, 5. init. XENOPH. p. 562. 570. sq. 645. sq. ξ) CIC. *Tusc. qu.* III, 15, 31. AEL. *V. H.* VIIII, 7. ο) HIER. *opp.* T. VII. fol. 64. 66. ed. Bas. 1525. conf. PLATONIS *Alcibiades* II sub fin. et ANT. BLACKWALL *de praest. classicor. auct.* p. 98. sqq. π) DIOG. Laërt. II, 21. et 31. conf. IO. FR. MENTZII *Socrates* cet. §. 15. 16. ρ) XENOPH. p. 607. sqq. AEL. *V. H.* III 17. ante med. σ) de Socrate tellatur XENOPH. p. 556. 562. 570. DIOG. Laërt. II, 24-31. de CHRISTO Matth. X, 8.

tabat contra se sophistas τ), et potentiores, nominatim triginta tyrannos: nec latum vnguem a iustitia recedens, vel recedi facile permittens: vt CHRISTVS scribas et proceres, nominatim concilium Iudaeae supremum, sibi sentiebat aduersari. Coniiciebatur in carcerem Socrates υ); vt et capiebatur REDEMTOR. Erant inter prioris aduersarios et accusatores, praeter sophistas, comici φ). Comicorum alter Aristophanes in nubibus, alter Amipsias ἐν τρίβωνι, perstringit. Concitarat Anytus, qui rhetores socios habebat Melitum, Lyconem, Thrasymachum, Polyeuctum, Calliam, Polycratem, aliosque plures χ). Quot ludibriis, vel humillimorum, exponebatur θεάν. θρωπος. At egregie se defendebat vterque ψ); saltem eo discrimine, CHRISTVS vt, veritate virtuteque diuina, loqueretur. Contemtae religionis accusabatur Socrates ω); dum, pro multis, vnum coli Deum, malebat; vt CHRISTVS accusabatur, quasi DEVM exsecratus esset. Inde IVSTINVS aa), postquam cum CHRISTO compararat, eiusdem cum Christianis accusatum esse criminis, prae se fert. Socrates, cum libere, quo vellet, abire carcere liceret, noluit, plorantes increpuit seuere, sermones excellentes vinctus habuit bb). CHRISTVS nouerat, quae perpessurus esset Hierosolymis; neque tamen declinauit cc). In carcere philosophabatur dd) ille; quem ad modum, coram pontifice, δίλημμα CHRISTVS adhibebat. Tempore festo VINDEX noster supplicio tradebatur; vt, diuerso quidem, apud Athenienses, captiuus detinebatur Socrates. Hic notabilis locus EVNAPII ee): ἐπὶ τοῦ παλαιοῦ καὶ μεγάλου Σωκράτους ἁπάντων Ἀθηναίων, εἰ καὶ δῆμος ἦσαν, οὐκ ἄν τις ἐτόλμησε κατηγορίαν καὶ γραφήν, ὃν γε ᾤοντο πάντες Ἀθηναῖοι περιπατοῦν ἄγαλμα σοφίας τυγχάνειν· εἰ μὴ μέθη καὶ παραφροσύνη καὶ τῶν Διονυσίων τῆς ἑορτῆς κ. τ. λ. — καὶ δῆμος ὅλος ἐπ' ἀνδρὸς ἠτύχει φόνῳ, Σωκράτους ἀπελθόντος βιαίως, οὐδὲν ἔτι λαμπρὸν Ἀθηναίοις ἐπράχθη. κ. τ. λ. Defensionem Lysias scripsit, quam praeclaram, sed sibi minus conuenire, Socrates aiebat ff). Hinc animo imperturbato bibebat

τ) CIC. *de fin.* II, 1. in *Bruto* c. 8. υ) LACTANT. *diu. institt.* II, 3, 5. V, 14, 13. 14. φ) AEL. *V. H.* II, 13. DIOG. Laërt. II, 28. 38. VIII, 49. init. L. I. ELING. *hist. Gr. L.* p. 123. sq. ed. Rechenberg. IO. FR. LEISNER *Socratem non fuisse* μεριμνοφροντιστὴν p. 9-12. 20. χ) PLATO in *Apologia* p. 9. sq. in *Menex.* post init. DIOG. Laërt. II, 38. sqq. MAX. Tyr. *diss.* XXXVIIII. ψ) ARRIAN. ad Epict. II, 2. p. 126. sq. 13. ante fin. III, 24. p. 336. ed. Wolf. ω) PLVT. T. II. *Opp.* p. 580. aa) p. 48. bb) DIOG. Laërt. II, 24. cc) Matth. XXVI, 52. sqq. Io. XVIII, 11. dd) PLVT. II, 466. Carcerem Socratis huc ipse trahere videtur LACTANTIVS II, 3, 5. V, 14, 14. conf. VAL. MAX. I, 1. ext. 7. MAX. Tyr. *diss.* XXXVIIII. tota. ALCINOVS adiunctus c. 4. ee) in *Aedesio* p. 35. sq. ed. 1616. ff) PLVT. II, 836. DIOG. Laert. II, 40.

nat gg), immo, vel hausto veneno, doctrinas suas, quas Plato digessit in Phaedone, continuabat hh). Vnde, mortem ipsum quam fortissime tolerasse, XENOPHON ii) gloriatur. Num hic agnus patientissimus contendi meretur? Licet, praeter Alcibiadem et Critiam kk), plurimos discipulos Socrates haberet, cum Olymp. LXXXXIIII. a. 1. damnaretur, pauciſſimos tamen constantes; quod et inter CHRISTI perpessiones factum. Criminatores autem Socratis, Athenis pulsi, semet, vt Iudas, suspenderunt ll). Quin, vt praedixerat Socrates, non suo, sed Athenienſium detrimento, se neci traditum iri; post ipsius fata, non modo pestilentia grassabatur Athenis, sed aduersa quaeuis irruebant. Eadem fere dixit, ad supplicium Hierosolymis deductus, REX ille glorioſus, multoque grauiora, paucis annis post, sequebantur. Discipuli Socratis, plurimis distinguebantur mox sectis mm): ita CHRISTVS plures habebat, post in omnem terrarum orbem egressos, quibus autem et missi sunt, non paucas, easque maxime peruersas, haereses, in concione Christiana, spargentes. Interea Graecorum ille magister, ab obitu, summis adficiebatur honoribus, statuas et sacellum obtinebat nn), propeque Deus habebatur oo). Accommodetur id ad officia maiora Christianorum, vt adpareat, non aequale, simile tamen, non nihil inueniri, quod tota tractatio nostra significabit. Mittimus ibi minora, magisque communia; scripta saltem ac dicta pauciſſimis tangendo. Nihil ipse scripsisse dicitur pp); et eius tamen multa feruntur qq). Sic et CHRISTVS, ad ore, non calamo, docendum, venit; cui pia superstitio plurima suppoſuit rr). Secundum Socratem ss), lauationes purum praestant hominem, ad corpus et mentem quod adtinet; vt in Iordane suos tinxit Ioannes. Secundum eumdem, medicis potius homines, quam parentibus, obtemperant tt): sic et adhaerendum animorum medico nostro uu). PHAEDRVS xx) narrat,

gg) QVINCTIL. IIII, 4. XI, 1. IVVEN. XIII, 185. sqq. OVID. *in Ibin*, SENECA *cur bonis viris mala fiant* c. 3. ante fin. *conſol. ad Heluiam* c. 13. *ep.* 24. post init. 70. p. m. 659. 104. p. 823. hh) PLVT. II, 607. 796. DIOG. Laërt. II, 42. ii) p. 644. sqq. conf. THEMISTIVS *or.* V. p. 58. ARRIAN. l. c. IIII, 5. ante fin. kk) AEL. *V. H.* II, 1. III, 28. IIII, 15. ll) PLVT. II, 538. ARRIAN. III, 26. p. 374. mm) BVDD. *H. Ph.* p. 132. sqq. ELING. *hiſt.* Gr. L. p. 160. 190. STOLL. 47. sqq. nn) DIOG. Laërt. II, 43. TERTVLL. *apol.* c. 14. MARINVS *in vita Procli* c. 10. post med. oo) HIERONYM. CARDANVS in or. *de Socratis ſtudio* p. 18. sq. KOECHER l. c. p. 168. ed. 1738. pp) PLVT. II, 328. sq. GE. HORN. *hiſt. philoſ.* p. 168. qq) BRVCKERI Fragen T. I. p. 462. sq. rr) I. A. FABRIC. *cod. apocr. N. T.* p. 303-323. ss) PLATO in Cratylo p. 55. ed. Basil. tt) XENOPH. p. 557. uu) Luc. XIIII, 38. xx) III, 9.

narrat, quod, cum paruam domum ſibi fundaſſet Socrates, cauſſam ſciſcitato, reſponderit: *vtinam veris hanc amicis impleam.* Sic et, ipſos domeſticos hominum inimicos eſſe, diuinus ille DOCTOR pronuntiat. At, hic maior copia, quam quae folio noſtro capiatur. Quod ſi tamen, his omnibus momentis copulatis, praecurſorem adpellare nequeamus; num certe beatis addendus? Vtique iam XENOPHON yy) beatum praedicat. Inter Chriſtianorum antiquos doctores, huc referuntur IVSTINVS martyr zz), qui potius a minori ad maius concludit, omiſſa negandi particula, ſi Graeca verba legamus, falſo nuper explicatus: CLEMENS Alex. αα), qui παιδαγωγίαν potius agnoſcit: IO. Chryſoſtomus ββ), nihil nominatim habens: Hieronymus, implicitam fidem adlegans, aliique γγ). Quid? Eraſmus, quem tamen ipſum irreligioſis LVTHERVS inſerit δδ), admiratus extrema verba Socratis, vix ſibi temperat, quin exclamet: *ſancte Socrates, ora pro nobis* εε). Sic et alius ſanctis addit. Nec ambigit de Socratis ſalute IO BAPT. CASALIVS ζζ). HVLD. ZWINGLIVS ηη), Herculem, Socratem, Ariſtidem, Catonem, Scipionem et alios, beatitate donat, quem ideo RVDOLPHVS GVALTERVS θθ) tuetur. Idem ſentiunt HERBERTVS de CHERBVRY, L. B. Anglus, STEPH. CVRCELLAEVS, Gallus ιι), anonymus auctor veritatum, quas vocat innocentium, et MARMONTELIVS in *Beliſario* κκ). Haud ita pridem Socratem apud Berolinenſes beauit IO. AVG. EBERHARD, V. D. M. cuius apologiam pro Socrate, vel requiſitionem doctrinae de ſalute gentium profanarum λλ), laudabiliter examinarunt GOTTHELF FRIDER. OESFELD, inſpector Loeſnicenſis μμ), et H. A. ZEIBICH νν); commendauit autem bibliotheca ſelecta Lemgouienſis ξξ). Equidem ſequor DOMINVM meum. Is, non tam indulgens, vt fratres noſtri miſericordiae, multos ſaluatum iri, negat: quaeſituros caelum, neque reperturos, indicat plurimos. Ipſe Socrates non tam miſericors eſt, qui vitioſorum

yy) in fine *apol.* p. 559. zz) *apol.* I. p. 46. αα) *Strom.* L. I. p. 282. ed. 1688. VI. p. 635-648. VII, 702. ſqq. ββ) *homil.* in Matth. XI. p. 432. opp. γγ) Eorum loca collegit IS. CASAVB. *exercitat. Anti-Bar.* 1. ſtatim ab init. p. 1-6. ed. Geneu. δδ) *colloqu. conu.* p. 381-385. ed. 1566. εε) in colloquio tit. conuiuium religioſum p. 164. ζζ) *de prof. ritibus* P. II. c. 2. ηη) *in Chr. fidei clar. expoſ.* p. 17. ed. 1536. θθ) in *apologia pro Zwinglio.* ιι) colloqu. I. p. 48. ed. 1735. 8. κκ) cf. LÜDERWALD in der Abhandlung von der Seligkeit der Heiden, TOELLNER im Beweis, daß Gott bereits durch die Offenbarung in der Natur, zur Seligkeit führet. λλ) Berolini 1772. 8. μμ) Lipſ. 1773. 8. νν) verm. Betr. Vol. II. P. VI. n. 1. conf. Schrift- und vernunftmäßige Gedanken von dem Schickſale der Heiden in der Ewigkeit Boioruthi 1776. 8. ξξ) Vol. II. p. 615-629.

rum poenam designat εἰς τὸν ἀεὶ χρόνον oo). Nouimus vetitum CHRISTI: *nolite condemnare, ne condemnemini*: nec ergo nos condemnamus, sed condemnationem modo diuinam adprobamus, ne NVMEN ipsum condemnare videamur. Haud igitur existimamus, DEVM munus tantum cassis votis impertiturum esse. Si Christianis pugnandum, properandum, currendum, vigilandum: quid de profanis gentibus statuemus, quae viam inuenire potuissent; ni studiis pepercissent seuerioribus? Fieri nequit, vt quis DEO sine fide placeat, ac beetur. Orci spiritus cognitionem habent, sine beatitate, quin tanto maiori tremori: nec meliorem de mortalibus spem concipimus, qui vel notitia destituuntur. Quid opus est nuntio salutari, sine quo scopum eumdem consequi valeremus? Sed hic idem finis est talium, qui sepem vineae diuinae lacerant, et, amicitiae specie, crudelissimos hostes, in vrbem, diuina patefactione munitam, immittunt, vt et ciuilis salus, cum aeterna, rapinis cedat. Perpendite corruptionem ciuium vestrorum, ruinamque regionum, principes; haec est consecutio pacificae vocis. Iniustum esse DEVM, clamitant; si notitiae defectus, virtute praeditos, damnaret. Nos iniustum crederemus; si filium, praeter sufficientem rationem, neci traderet, simulacra virtutum bearet, viamque, paucis Christianorum tam arctam, adeo temere dilataret. Hinc, vel in eo, patefactionis necessitatem et insignem praerogatiuam, admiramur. Cur homo, quid debeat imputare DEVS, diiudicat? Hominum amicus, ne fiat inimicus, aliorum, sui NVMINISque; nec praeparationem, in patefactione naturae, cum ipsa via, quam non nisi fides persequitur, confundat. Hoc vtique prae me fero, misericordes istos, sui minime misereri. Conuiua, qui verae fidei iustitiaeque diuinae vestem haud induerat, exteriores in tenebras, eiiciebatur; licet amicum REX ille regum, vti ludam, nominasset. Tolerabiles magis poenas experientur Sodomaei ac Gomorrhaei, quam Capernaitae, quique plura viderant REDEMTORIS miracula, propinquiusque fuerant ad caeleste regnum admissi. Norunt ab incunabulis hi meliora; sed repudiant, aliosque corrumpunt. Ea parte, multo melior Socrates; nec a virtute tam remotus. Duo nobis saltem loca sacer codex ostendit; sed, in ambobus, diuersissimos gradus. Adhaereamus patefactioni NVMINIS, et, vbi mitem conditionem

oo) in PLATONIS Gorgia sub finem.

nem Socrati cuidam, ibi tam impiis Christianis summos cruciatus, adsignemus. CHRISTVS ipse quae dixit, Matth. VII, 21-27. legamus. Num Socrates ea peregit, quae falsi vates ibi vere de se pronuntiare poterant? et hi tamen repelluntur. Vbi nunc aranearum tela, quam adulatores nostri sibimet aliisque praetendunt? Operantur iniquitatem, de virtutibus et operibus suis gloriati. Consentimus, iudicatum olim iri mortales, secundum ea, quae habent; non quae nequaquam habent: interrogamus modo, num, quae tales habuerint, dignis modis, vsurparint? Haud penetramus implicitam Christianorum infantium fidem. Scimus autem, in vtero iam materno, sanctissimi SPIRITVS plenum Ioannem, gratiae foederis octauo die participes Hebraeorum antiquiorum liberos, paruulos a CHRISTO laudatos. Quid isti, profanis de gentibus, sistent, quatenus profanae manserunt? Naamanum adpellant: sed is veri NVMINIS cultum pollicetur. Ad internum lumen prouocant: sed, quam id vanum ac fallax sit, in singulis quippe diuersum, quamque deprimat externum, quis non videt? Omnes illustrat CHRISTVS, in mundum veniens, homines: sed qui valuas non obuertunt. Iam Salomo, recens conditum templum, omnibus aperit hominibus ππ): sed accedant oportet, ni corpore, saltem animo poenitente, credente, perseuerante. Quo modo poenitentiam agent non agnoscentes peccata? quomodo credent in eum, de quo non audiuerunt? Ἄθεοι dicuntur, a sanctissimo SPIRITV, deorum cultores. Quid? annon crudelissimus DEVS, qui tot homines diris addixit? Ain vero, tune consilia NVMINIS perspicis? tune singulorum mentes exploras? tune nosti, quid, omnium cursu saeculorum, ignotas inter gentes, acciderit? Tecum habites, quaeso; curta tibi supellex. Perspice, quid tute tibi proposueris, qui naturam euehis, deprimis patefactionem, ac euertis. Aliis aeque sunt capita ϱϱ). Nemo venit ad patrem; nisi CHRISTO, per veram fidem, nitatur. Qui filium non habet, neque patrem habet, ad quem adglutinatos fide, filius pertrahit; vt ad filium trahit pater. Trahit autem, per verbum, ore vel scripto propagatum: neque sufficit adspectus huius vniuersi; licet hoc aeque ducat, diuinam ad gloriam agnoscendam, quaerendamque patefactionem. Ita lex diuina scripta dicitur in animis, sensu recti prauique residuo, cupiditate bonorum infinitorum stimulante, mentesque, diuinam ad patefactionem inuesti-

ππ) II. Paral. VI, 6. 29. 32. 41. ϱϱ) *Antihephaestion* p. 115. sqq.

inuestigandam, excitante. Sic valent deinceps effata, quae passim, a male sentientibus, adlegantur σσ). Accommodantur inuerse loca, quae potius contrarium demonstrant. Si patienter, vere praeclarioris virtutis operibus, inuestigare debent salutis viam, tam Graeci, quam Iudaei: non reperiunt, simulata virtute, minime peruestigantes. In alio nullo salus, neque diuersum nomen datum est hominibus, in quo saluentur, quam IESV CHRISTI. Qui non crediderit in ipsum, addicitur flammis. Nulla profanarum gentium est implicita fides; nominatur potius, quam distincte sistitur, vt rem existimare valeamus. Fides, Paulo definiente, repraesentatio vocatur bonorum sperandorum, et operum, quae non cernuntur, demonstratio. Haud norat hancce salutem, haud redemtionem per CHRISTVM, Socrates. Vtique, magis cognoscebat ac sequebatur Confucius; quatenus vera narrat IO. IACKSON ττ). Minime porro nobis concipere possumus caecam animi virtutem. Ab intelligentiae notionibus, actio pendet voluntatis. Si DEVS hominem flammis addicere nequit, qui spiritus ipsos addixit: vitiosi beantur, nec vllus generatim in Orcum detruditur. Tales viri sanctissimas litteras iactant, quibus, in omnibus pronuntiatis, repugnant; et iustitia diuina fulciuntur, quam vbique laedunt. Inter se pugnare dicunt, omnium velle salutem, nec sufficientia praesidia tribuere. Quid autem, si minus adhibent, quibus tribuuntur? Habebant primi parentes, habebat Noachica posteritas, ante scriptam patefactionem. Norant Iudaeos, qui sua culpa secesserant ab iis: et culpam parentum posteri luebant; quia malitiam ipsorum aemulabantur et augebant. Si sola foederis antiqui tempora, solae prorsus seiunctae gentes, respicerentur: facilior esset adsensus. Quamquam, et tunc certe cogitaremus, ignorantiae tempora, quorum mentionem facit Paulus υυ), respicere praeterlapsam cuiusque singulatim, nunc ad reuertendum inuitatorum, aetatem. Atqui terrarum orbem penetrauit salutaris nuntii sonus. Quilibet in semet imperfectiones deprehendit, de quibus tollendis sollicitus, scrutari potuit efficaciter salutis viam. Cuilibet illam NVMEN ostendit, omnibusque praecipit reditionem ad frugem; ac singulorum iudicem CHRISTVM sistit. Si qui retinuerint primas notiones, in MESSIAM ipsum fidem complexas, neque

per

σσ) e. g. Ps. CXXXXV, 9. Ies. LXV, 1. Rom. X, 7. 8. XI, 32. ττ) in Chronol. Alterth. p. 694. sq. ed. Windh. υυ) Act. XVII, 30.

per tot superstitionum et errorum genera corruptas; ingressis eam salutis viam, vt lobo, vel aliis, salutem haud inuiti largimur ΦΦ). Sed, quis exploratum habet, quinam illum tramitem persequuti fuerint? Generatim igitur, haud nominatim, adseuerare poterimus. Ad illos hi pertinerent, qui, venientes ab ortu et occasu, cum Abraamo, Isaaco et Iacobo, in caelesti regno, sint accubituri. Potius tamen eo spectant, dum posterum tempus indicatur, qui veritatis praeconio credidere, credunt, credent efficacissime. Sic et Lutheri verbis consulemus, quibus, adipiscendam beatitatem temere dispertientes, abutuntur χχ). Quippe, deorum pariter inter cultores, fideles adseclae verissimi NVMINIS latent, quibus denegare salutem impium foret. At is ibi, Socratem ac similes, nominatim excludit; si vel solos sermones eius conuiuales legamus ψψ). Si quis iniquitatis accusarit, de reliquis dubitantes, vel, praeuio sacro codice ωω), salutem Socrati denegantes: accusare desinet, perpendendo, sufficere mortalibus gratiam diuinam, in fabrica rerum omnium, et ab eluuione generali, toties alioqui, ne quid de redemtione dicamus, praestitam. Esto, minima pars huius orbis recipiat: efficit iste punctum, ad vniuersum mundum habito respectu. Si quis putarit, ita deprimi Christianorum mentes: ego potius excitari crediderim. Animalibus gloriae profanis beatitatem vindicantes, derogant Christi meritis, ac diligentiae nostrae; dum falsa nos spe deludunt. Nihil habent fundamenti, quo comprobent fiduciam suam; praeter opinionem, a iussis et exemplis diuinis recedentem. Securi viuunt, inter seueras aeternorum suppliciorum comminationes, qui Christianorum nomen mentiuntur, et flammas restinguunt, si fieri posset, vt audaciam cumulent. Vereor, ne sese potissimum decipiant, artifices culcitarum. Inter absurdos recentis acuminis abortus, sunt opera nuntii Wandsbeccensis, siue Asmus omnia secum portans. Adlegatur ibi 1) ratio, quod Socrates decesserit, vt ex patria discesserit Abraamus, inter alias, vel magis ridiculas. Ohe, nunc satis est! Id contendo, si fieri posset, vt quis, a vera cognitione NVMINIS alienus, praeter fidem, DEO placeret: multo facilius salutem obtinuisse Socratem, quam eius

ΦΦ) Rom. II, 10. conf. CLEM. Al. *Strom.* V. p. 591. sqq. χχ) v. g. T. II. ed. Lipsi. p. 241. 244. 252. 257. ψψ) fol. 37. 95. 119. 123. sed in primis 138. sq. ωω) Rom. I, 21. II, 12. 1) p. 26.

eius generis contumaces, CHRISTVM ipsumque verbum diuinum irridendo reiiciendoque, flammas aeternitatis euitabunt. Quid de Sebaldo Nothankero dicemus? Bone DEVS, tam inertia figmenta, tot homines inescant! Adeo refertus est vitiis liber, vt calor insectis grauidus. Impietas, impudentia, petulantia, deprauatio, mendacium, si virtutes sunt: gaudeat, cum profanis suis beatis, auctor. Misere consumtum tempus, quod, tribus istis voluminibus perlegendis, impendi. Subinde vix oculis et auribus meis credebam, tot inter repugnantias. Dubitemus modo, de profanorum salute, potiusque verbo diuino, quam irrisorum fictionibus, nitamur. Statim Theoninum dentem ostendunt, et omnes nos, praeter vllam exceptionem, damnare clamitant. Quasi non diuersum hoc esset. At isti temerarii, qui genus humanum, a miseria naturali, liberaturi defensurique, maximam audaciam, prae se ferunt, num adtentionem, num fidem merentur? Crudelitatem ὀρθοδόξων, quos ignominiae caussa dicunt, accusant, omnibus ipsi probris contaminati, primariique nominis calumniatores. Quid sibi denique tales volunt? In istorum sententiam pedibus eatur. Alii ius aequale sibi postulabunt, totque fingent religiones, re nullam exhibentes, quot ostendere superbiam et eminere studebunt, vel adulari, iam adeo generali deprauationi, laborabunt. Inter ea publica fides, salus, ipsaque communio concidunt: fraudes, rapinae, caedes, omnium generum infanda crimina, dominantur. Saluete, publicas inter ruinas, barbari reformatores! At extrema simul cogitate: non eadem vobis tunc semper mens erit. In securitatis locum desperatio veniet; si nunc aeternas poenas in propinquo videbitis. Opponite fidelem veritati: quam hicce tutus; si vel, quod tamen fieri nequit, sententia vestra praeualuerit. Illum condemnare vos non audebitis; ille vos merito condemnat, contumaciae vestrae tenaces. Ex hactenus dictis vti summam faciamus, Socrateae beatitatis argumenta, multo magis praecursionis, omnino desideramus. Quippe non eum praecursorem adpellamus, qui prius vixit; sic enim omnes, ante CHRISTVM natum, homines huc referrentur: nec qui similia quaedam, in vitae curriculo, declarauit; sic ad Socratem accederent plerique: nec, ante redemtorem exhibitum, inter beatos qui triumphant; ita multo potius nuncuparemus Adamum, Noachum, Abraamum, Isaacum, Iacobum ac tot alios DEO fideles. Quin, illud nomen, solus, suo iure, Ioannes impetrabit, qui viam aduenienti praeparabat, digitis adgressum demonstrabat, poeniten-

tentiam ac fidem in eum iniungebat, lauatione sacra sacris illius initiabat, ipseque fidem suam obsignabat nece. Ioannes solus tunc in virtute spiritu- que Eliae, qui, cum multis aliis, figuram Messiae ferebat, incessit, vox cla- mantis in solitu line, vatibus omnibus maior, amicusque sponsi, quem, non e longinqu , sed coram, commendabat. Extendere si nomen veli- mus; aliquaten is et eos, inter antiqui foederis fideles, comprehendere pos- sumus, qui figuram Messiae, non confictis rationibus, sed perspicue, tu- lerunt. Horum vtique multo maior numerus erit, quam, aetate nostra, vulgo creditur. Addere possemus Gabrielem, qui Ioannis IESVque natiuita- tem praenuntiauit, omnemque caelestem exercitum, in Bethlehemi finibus exsultantem. Etiam Simeonem et Hannam, quatenus mundi salutem, in loco sacro, publice nuntiarunt, adnectere possemus. Non enim haec tam pertinent, ad tempus ante natiuitatem CHRISTI, quam ante sollemnem mu- neris administrationem. Nec autem vlterius equidem progrederer. Quam- uis indignum Christiano pronuntiet cel. LESS 2), Socratis, Epicteti, Marci Antonini virtutes, splendidis vitiis inseruisse; quas ille potius veras fuisse, DEOque placuisse, memorat. Sane, potest aliquid eatenus NVMINI probari, vt huius aetatis beneficiis compensetur, ad aeternam tamen beatitatem, minus salutare; quod Achabi docet exemplum. Nec autem indignum Christiano, digitum huc intendenti, scapham adpellare scapham. Interea commode prae nobis feremus, aliquatenus excitatum esse di- uinitus Socratem, vt ad patefactionem praepararet, quo simul tot ex eius institutione progressi pertineant 3): sed ab Orco scopum illum impeditum fuisse; cum aduersarii maximi forent philosophi, de qui- bus nec adrogans iste Socrates excipitur. Hinc diuinum instrumentum fieri potuisset; si voluisset; eodem reuerti potuissent alii, sed et ipsi nolu- erunt. Quae cum ita sint, licet cum GREGORIO Naz. 4) minus faciamus; omnia tamen penitus contemplati, potius opponendum Socrati CHRISTVM, quam comparandum, videbimus. Memoraui quidem olim exemplum illud, vt viam ostenderem, qua scriptorum et profanorum explicatio pro- cedere deberet, apud Christianos. Sed cum luce tenebras contendebam. Singulis in hominibus, quidpiam commune cum aliis. At, hic potissi- mum

2) Christl. Moral (Gottingae 1777.) p. 154. sq. 3) CLEM. Al. *Strom.* L. VI. p. 618. 4) in carm. Iamb. p. 215. opp.

mum, aeque diuersa multa reperimus. Plures v. g. Socratis magistri nominantur 5). Anaxagoras et Archelaus, e Thaletis schola progressi, doctrinam naturalem et μεταφυσικήν, musicam Damon, sophisticam Prodicus; illustres feminae Diotima et Aspasia, cum aliis, alia docuerunt, ne quid, alterius eloquentiae poëticesque de doctoribus, adiungamus. CHRISTVS se solum magistrum habuisse videtur; licet de grammatista quodam nonnulla memorentur. Certe legimus obiectum ipsi, quod sacras litteras minime didicerit 6). FRID. MENTZIVS, etiam in cinere venerabilis praeceptor meus, apud Lipsienses CIↃIↃCCXVI, sollemni disputatione, comprobare studuit, *Socratem, nec officiosum maritum, nec laudandum patrem familias* fuisse, vbi sub finem 1. Tim. V, 8. contra Socratem excitat. IBBEKEN, *de Socrate mortem minus fortiter subeunte*, Lipsiae CIↃIↃCCXXXV. disputauit; cui quidem IO. SAM. MÜLLERVS, rector Hamburgensium, respondit. Alii iam alia demonstrarunt, quibus hic nobis otia fecere. Sic equidem potius adprobo CAROLI ERN. KETTNERI *vindicias Socratis, de crimine maiestatis accusati*, quam S. F. DRESIGII epistolam, *de Socrate iuste damnato*. Sed, non ideo, diuina sententia, iustum pronuntio. Virtutes eius commendo, quatenus id nominis obtinent, virtutum, in emendatioris aliquatenus naturae ductum sequutis, simulacra 7). Rogatus aliquando Socrates 8), quaenam sit iuuenis virtus? (μηδὲν ἄγαν) *nihil nimis*, respondit. Nos, vt neminem, ita nec Socratem ipsum, nimium vel euehamus, vel deprimamus. Ceterum, lasciuientes ille pueros fugat 9), quanto magis adolescentes commouebit, ne philosophus profanus coniiciat in pudorem. Abominemur eorum malitiam, qui CHRISTVM exagitare laborant, sapientibus suis blandiendo 10): sed et salutaria quaeuis vbique colligamus. Ea mente, vel natalitia summa celebrabimus, vt, e minoribus, quoad fieri potest, maiora nascantur. Sic, *historiam infantiae* REDEMTORIS, optimae notae commilito,

IO. DAN. GOTTFR. SENF, *Saalburg.*

nobis

5) BIELCKEN l. c. p. 124. sq. 6) Io. VII, 15. 7) conf. STOLLII Historie der heydnischen Moral §. 42. p. 47. 8) DIOG. Laërt. II, 32. 9) AEL. *V. H.* VIIII, 29. 10) IVSTIN. *apol.* II. p. 89.

QK II 760 X 3074337

nobis praedicabit; cuius orationem, si CVRATORES vigilantissimi singulique BONI, cras, indulgentes, benigni, frequentes, auscultabunt, haud exiguo beneficio nos adficient.

P. P. Gerae d. XXVIII. Dec. A. C. D. CIↃIↃCCLXXVII.

524,25
B. m. II
II f 60

NVM INTER

HRISTI PRAECVRSORES

SOCRATES

DISQVIRIT

ET

TALITIA SVMMI REDEMTORIS

COMMENDAT

ILL. RVTH. DIRECTOR.

L. Godofred. Hauptmann

HEINSIVS *poëm.* p. 521.

Εἶμι δ' ἐν Ἠλυσίοισιν ἀεὶ πεδίοισι γεγηθὼς,
Ἔνθεα βακχεύων εἰσέτι καὶ μεθύων.
Αὐτοῦ τὸ γλυκερὸν καταγώγιον εἰσέτι ναίω,
Τὸ πρὸς τῇ πηγῇ καὶ παρὰ τῇ πλατάνῳ.
Αὐτοῦ γοργιέω τύφον πατῶ, ὡς τὸ πάροσπερ,
Ἀντισοφιστεύω δ' εἰσέτι τῷ Προδίκῳ.
Ἐισέτι δὴ μηδὲν φημ' εἰδέναι. Ἔστι δὲ μούνη
Μοὶ σοφίη, σοφίης σχῆμά τι μηδεμιῆς.

BIBLIOTHECA PAULICIANA
UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HALLE (SAALE)

GERAE,
EX OFFICINA ROTHIANA.

Farbkarte #13 B.I.G.
Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-392226-p0017-6